

- Prohibeo** (*prohibere*). { (Cic. Fam. 12. 5). Hiemem credo prohibuisse quominus haec fierent.
(Cic. Divin. 40). Quod potuisti prohibere ne fieret.
(Nep. Hannib. 12). Recusavit ne id postularent.
- Recūso** (*rehusar*). { (Caes. B. G. 4. 7). Neque recusare quin armis contendat.
(Cic. Fin. 1. 3). Neque recusabo quominus mea legant.
- Sto.** (Caes. B. C. 1. 41). Per Afranium stabat quominus dimicaretur. (*Afranio tenta la culpa de que no se pelease*).
- Teneor.** (Cic. Fam. 16. 24). Ego vix teneor quin accurram. (*Me cuesta el dejar de ir*).

β) Verbis dubitandi et omittendi, praecedente negatione, jungitur quin cum subjunctivo; item loquutionibus paulum vel nihil abest, fieri non potest, nihil est causae, deesse mihi nolo, etc. (Cic. Att. 1. 5). NON DUBITO QUIN tibi quoque id molestum sit. (Id. Att. 12. 26). Facere NON POSSUM QUIN MITTAM. (No puedo menos de escribirte cada día). (Id. Fam. 5. 12). Deesse mihi NOLUI QUIN te ADMONEREM. (Caes. B. G. 1. 3). NON ERAT DUBIUM QUIN plurimum POSSENT. (Liv. 42. 44). HAUD MULTO ABFUIT QUIN INTERFICERETUR.

N. B. 1.º Verba dubitandi, maxime sine negatione, saepe habent infinitum vel pertinent ad propositiones interrogativas (n. 402. N. B. 2.º).

N. B. 2.º Interrogatio aequivalet negationi: v. gr. (Caes. B. G. 7. 38). An dubitamus QUIN Romani jam ad nos interficiendos CONCURRENT?

N. B. 3.º Non possum quin cum subjunctivo, idem est ac non possum non cum infinito.

ARTICULUS III. VERBA CUM INDICATIVO VEL SUBJUNCTIVO

390. Verba quae animi sensum significant ut gaudium, moerorem, admirationem, praeter infinitum admittunt quod, raro quia cum indicativo vel conjunctivo. (n. 382 et 394. N. B. 2.º).

- Doleo** (*dolerse*). { (Caes. B. G. 5. 52). Tantum se deperdidisse dolebant.
(Cic. ad Brut. 1. 47). Dolet mihi quod stomacharis.
- Gaudeo** (*gozarse*). { (Cic. Amic. 4). Quem esse natum nos gaudemus.
(Cic. Leg. 3. 1). Gaudeo quod te interpellavi.
- Gratūlor** (*felicitar*). (Cic. Fam. 15. 44). Tibi gratulor quod te laus prosequuta est.
- Aegre fero.** (Cic. Tusc. 3. 61). Aegre fero quod acciderit. (*Siento que haya sucedido*).
(Caes. B. G. 7. 49). Indignantes quod conspectum hostes ferre possent.
- Indignor** (*indignarse*). { (Caes. B. C. 3. 408). Indignari coepit regem evocari.
- Irascor** (*airarse*). (Ovid. Met. 6. 269). Irascens quod ausi essent hoc superi.
- Laetor** (*alegrarse*). { (Cic. Rosc. Am. 47). Quae perfecta esse laetor.
(Cic. Phil. 11. 4). In hoc est laetatus, quod ea faceret.
- Miror** (*maravillarse*). { (Cic. de Orat. 2. 14). Mirari desine hunc posse.
(Cic. Arusp. resp. 22). Miror quod hominem violari patiuntur.
- Moereo** (*entristecerse*). (Cic. Q. F. 1. 3). Moereo quod tibi dolorem affert.
- Piget** (*tener pesar*). (Sall. Orat. Phil. contra Lep.). Piget recta facere.
- Poenitet** (*arrepentirse*). { (Cic. Orat. 2. 49). Me non d. dicisse minus poenitet.
(Att. 7. 3). Ipsi poenitendum puto, quod de sententia discesserit.
- Pudet** (*avergonzarse*). (Cic. N. D. 1. 39). Pudet me dicere.

- Queror** (*quejarse*). { (Cic. Att. 13. 2). Queritur a discipulis abesse.
(Cic. Acad. 4. 25). Non quereretur quod parum videret.
- Succenseo** (Plaut. Pers. 3. 3. 26). Id tibi succensui quia negabas. (*Me enfadé contigo porque lo negabas*).
- Facio gratum.** (Cic. Att. 2. 4). Fecisti mihi pergratum, quod librum misisti. (*Mucho me complaciste en enviarme el libro*).

391. Verba laudandi, vituperandi, accusandi, damnandi postulant quod cum indicativo vel subjunctivo significante causam laudis, etc. (Cic. Att. 5. 12). Tu me accusas, QUOD me AFFLICTEM. (n. 394. N. B. 2.º).

392. Indicativo cum quod exprimitur objectum alicujus iudicii, quod in primaria oratione saepe innuitur ope demonstrativi, adverbii vel adjectivi. Huc recidunt illa: Commode accidit quod..., bene facis quod..., fecisti mihi gratum quod..., accedit quod..., illud mihi occurrit quod..., ille maxime floruit quod..., quod si, nisi (ad transitionem). (Cic. Att. 15. 21). Accedit enim QUOD patrem AMO. (Id. Att. 8. 3). Omitto ILLA vetera, QUOD istum in rempublicam ille ALUIT, AUXIT, ARMAVIT. (Id. de Or. 1. 8). Hoc uno praestamus vel maxime feris, QUOD COLLOQUIMUR inter nos. (Id. Fam. 1. 6). Me in summo dolore maxime scilicet consolatur spes, QUOD valde SUSPICOR, fore ut infringatur hominum improbitas (1).

N. B. Haec constructio usurpatur, quum rem de qua iudicium fertur, certo evenire significamus; at si in genere loquamur, infinitus locum habet (n. 379. 3.º); v. gr. Crimen est vincire civem romanum. (Es un crimen atar á un ciudadano romano). Crimen est quod vincis civem romanum. (Estás cometiendo un crimen atando á un ciudadano romano).

CAPUT XIV

DE MODIS IN PROPOSITIONE SUBJECTA

393. N. B. Propositiones nomen a cogitatione quam referunt, mutuuntur. Itaque in causales, finales, consequutivas, condicionales, comparativas, quantitativas, concessivas, temporales, relativas et interrogativas tribui solent; quae omnes certis quibusdam conjunctionibus, fere etiam relativo efferuntur.

§ I. PROPOSITIONES CAUSALES

394. Causa vel ratio illa quam reddimus α) vel est VERA (i. e. realiter existens), β) vel FALSA.

α) Causa VERA indicativo exprimitur, praeuentibus conjunctionibus: 1.º quod, quia (porque); 2.º quoniam, quandoquidem, siquidem, quippe,

(1) Haec ne interpreteris per hispanum porque; sed vel per conjunctionem que, vel per alias loquutiones: v. gr. Nos aventajamos á las fieras en que conversamos entre nosotros. Haces bien en... Has porro orationes, itemque illas quae n. 387 continentur, vocant nonnulli propositiones declarativas.

utpote (puesto que), raro *ut*; quae fere causam certam cognitamque significant. (Cic. Fam. 2. 5). QUOD ABES gratulor: vel QUIA non VIDES ea quae nos, vel QUOD excelso et illustri loco sita EST laus tua. (Id. Verr. 2. 4. 55). Quae urbs, QUIA postrema AEDIFICATA EST, Neapolis nominatur. (Id. Planc. 82). QUONIAM tu VIS, nimium me gratum esse concedam. (Id. Par. 6). Tute posse dicito, QUANDOQUIDEM POTES. (Id. Fam. 9. 12). Gratulor Bajis nostris, si- QUIDEM, ut scribis, salubres repente FACTAE SUNT. (Id. Dom. 121). Jam fateor, inquit, in Gabinium me nefarium fuisse; QUIPPE VIDES.

Quod et quia, si explicatur alienum iudicium, vel proprium quidem, sed historice, subiunctivo adhaerent. (Cic. Sen. 13). Bene enim majores nostri accubationem epularem amicorum, QUIA vitae conjunctionem HABERET, convivium nominarunt. (Id. Tusc. 5. 36). Quid? Aristides nonne ob eam causam expulsus est patria, QUOD praelet modum justus ESSET? (Id. Off. 1. 15). Quum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, QUOD se oblitum nescio quid DICERET. (Id. Tusc. 2. 3). Itaque mihi academiae consuetudo, placuit QUOD ESSET ea maxima dicendi exercitatio.

Dicemus ergo:

Dolebant { se contemni (de facto).
quod contemnebantur (ut ego censeo).
quod contemnerentur (ut ipsi censebant).

N. B. 1.º Quum causale subiunctivum semper habet, licet causa sit realis; respondetque gerundiis hispanis *ando* et *habiendo*. (Cic. Rosc. 38). Quum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metu plena SIT (puesto que está llena), ratio ipsa monet amicitias comparare. (Id. Fam. 15. 7). Sum totus vester et esse debeo, QUUM praesertim matris tuae studia PERSPEXERIM.

N. B. 2.º Huc referri possunt verba quae animi sensum significant, *laudandi*, *accusandi*, etc. (n. 390 et 391).

N. B. 3.º Quippe, utpote quandoque adhibentur sine verbo: v. gr. (Cic. Fin. 1. 6). Sol Democrito magnus videtur, QUIPPE HOMINI ERUDITO. Adjunguntur passim causalibus *quod*, *quia*, *quoniam*, etc., accipiuntque modum harum conjunctionum: v. gr. (Ter. Heaut. 3. 2). Ego vero laudo, QUIPPE QUIA magnarum saepe id remedium aegritudinum EST.

β) Causa FALSA subiunctivo exprimitur, habetque particulas *non* (*nemo* etc.) *quod*, *non quo* (no porque), *non* (*nihil*) *quin* (no porque no), adhibitis saepe in altera propositione *sed quod*, *verum quia* cum indicativo. (Cic. Tusc. 2. 25). Pugiles jactandis caestibus ingemiscunt, NON QUOD DOLEANT animove SUCCUMBANT, SED QUIA perfundenda voce omne corpus INTENDITUR, VENITQUE plaga vehementior. (Id. Fam. 12. 17). NON QUO de tua constantia DUBITEM, SED QUIA mos EST ita rogandi, rogo. (Id. de Or. 3. 14). NEMO oratorem admiratus est, QUOD latine LOQUERETUR. (Id. Att. 7. 26). Ego me duces in civili bello negavi esse, NON QUIN rectum ESSET, SED QUIA, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem TULIT.

N. B. Dicitur etiam: *non quo*—*sed ut* (*sed ne*). (Cic. Att. 7. 15). Ad te litteras dedi, NON QUO HABEREM magnopere quod scriberem, SED UT LOQUERER tecum absens.

§ II. PROPOSITIONES FINALES

395. Propositiones quae significant *finem*, semper postulant conjunctivum. In affirmativis frequentissima est particula *ut*; utemur *quo* si adsit comparativum; in negativis fere usurpatur *ne*, emphatice *ut ne*, raro *ut non* (in coordinatione *neve*, *neu*). (Vid. n. 455). (Cic. Cluent. 53). Legum idcirco omnes servi sumus, UT liberi esse POSSIMUS. (Id. de Or. 2. 30). Ager novatur et iteratur, QUO MELIORES foetus POSSIT et GRANDIORES edere. (Id. Verr. 6. 32). Quid vis nobis dare, isti NE AUFERANTUR abs te? (Id. Caecil. 7). Ecquis umquam tam palam de honore contendit, quam Verres UT NE haec mihi delatio DETUR?

N. B. 1.º Saepius dicitur *ne quis*, *ne quando*, *quam ne aliquis*, *ne aliquando*.

N. B. 2.º Quo adhibetur raro sine comparativo, et significat *para que por este medio*. (Cic. Leg. 2. 26). In funeribus Atheniensium sublata erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur.

§ III. PROPOSITIONES CONSEQUUTIVAE

396. Illae sunt quae *consequentiam* vel effectum significant. Adhibent *ut* in affirmatione, *ut non* in negatione, et semper postulant subiunctivum. In propositione principali fere praecedunt pronomen demonstrativum *hic*, *is*, *talís*, *tantus*, *ejusmodi*, *tot*, vel adverbia *sic*, *ita*, *tam*, *tantum*, *tantopere*, *toties*, vel adjectiva *dignus*, *aptus*. (Cic. Brut. 15). Neque tamen is sum, UT mea me maxime DELECTENT. (Id. Off. 1. 40). TALIS est ordo actionum adhibendus, UT in vita omnia SINT apta inter se et convenientia. (Id. Off. 5. 11). TANTA vis est honesti, UT speciem utilitatis OBSCURET. (Id. Off. 2. 15). Nec ITA claudenda est res familiaris, UT eam benignitas aperire NON POSSIT; nec ITA reseranda, UT PATEAT omnibus. [400].

N. B. 1.º Consequentia necessaria post loquutionem negativam effertur per *ut non*, *quin* (*sin que*). (Cic. Man. 7). Ruere illa NON POSSUNT, UT haec NON eodem labefactata motu CONCIDANT. (Id. ib.). NON enim POSSUNT una in civitate multi rem atque fortunas amittere, UT NON plures secum in eandem calamitatem TRAHANT. (Id. Brut. 88). Hortensius NULLUM patiebatur esse diem, QUIN aut in foro DICERET, aut MEDITARETUR extra forum.

N. B. 2.º Ad consequutivas pertinet *quam ut* post comparativa. (Cic. de Or. 3. 6). Hoc est ALTIUS, QUAM UT nos humi strati suspicere POSSIMUS.

N. B. 3.º Regulis consequutionis temporum (n. 403 et seqq.) non subjiciuntur. (Cic. Att. 1. 14). Tanti FUERUNT, ut ego eo brevior SIM, quod eos usque istinc exauditos putem.

§ IV. PROPOSITIONES CONDICIONALES [414]

397. Periodus *hypothetica* triplex esse potest: α) *realis*, β) *potentialis*, γ) *facta*. Conjunctiones praecipuae sunt: *si* (*si*), *nisi* (*si no*).
α) *Realis* illa est, quae habet condicionem realem, id est, quae ab auctore

enuntiatur tamquam posita in praeterito, vel in praesenti, vel ponenda in futuro. Utrunque habet indicativum, et junguntur fere tempora similia hoc modo:

Hoc si dicis, erras—Yerras, si dicis esto.

Hoc si dixisti, erravisti—Erraste, si dijiste esto.

Hoc si dicis (saepius si dixeris), errabis—Errarás, si dicis esto.

(Cic. Phil. 7. 6). *Si pace frui VOLUMUS, bellum GERENDUM EST.* (Id. Rose. 37). *Si nihil aliud FECERUNT, nonne satis FUIT his gratias agi?* (Id. Off. 1. 28). *Naturam si SEQUEMUR ducem, numquam ABERRABIMUS.*

N. B. Tamen si subjectum propositionis subordinatae est quis vel secunda persona pro indefinita, in hac usurpatur subjunctivus. (Cic. Sen. 7). *Memoria minuitur, nisi eam EXERCEAS.* (Id. Amic. 12). *Turpis est excusatio, si QUIS contra rempublicam se amici causa fecisse FATEATUR* (Cf. n. 374. 3.º N. B. 3.º).

β) *Potentialis* est, quae habet condicionem possibilem, qualis solet adhiberi in comparationibus. Postulat *praesens* vel *perfectum* subjunctivi.

Hoc si dicas, erres—Si dijeres esto, errarás.

Hoc si dixeris, erraveris—Si hubieres dicho esto, habrás errado.

(Cic. Amic. 5). *Ego si Scipionis desiderio me moveri NEGEM, MENTIAR.* (Id. Off. 3. 25). *Si gladium quis apud te sana mente DEPOSUERIT, REPETAT insaniens; reddere PECCATUM SIT, officium non reddere.*

N. B. Raro ponitur perfectum in utraque oratione. (Cic. Fam. 45. 8). *Gratum mihi FECERIS, si Juniae ERIS GRATULATUS.* In modesta affirmatione usurpatur etiam perfectum in principali (Cf. n. 374. 2.º N. B. 1.º).

γ) *Periodus ficta* est, quae exprimit condicionem impossibilem. Postulat *imperfectum* vel *plusquamperfectum* subjunctivi.

Hoc si diceres, errares—Si dijeres esto, errarías.

Hoc si dixisses, erravisses—Si hubieses dicho esto, errarías.

(Cic. Att. 8. 15). *Plura SCRIBEREM, si ipse POSSEM.* (Cic. Caecil. 5). *Sicilia tota, si una voce LOQUERETUR, hoc DICERET.* (Id. Rose. 6). *Quas inimicitias si Roscius cavere POTUISSET, VIVERET.*

N. B. 1.º Si tamen in propositione principali est verbum quod significet *posse* aut *debere*, vel aliud verbum cum adverbio *paene*, aut conjugatione periphrastica, usurpatur indicativus, manente subjunctivo in subordinata. (Cic. Phil. 2. 38). *Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas ESSET, colere DEBEBAS.* (Id. Leg. Man. 47). *Si Romae Cn. Pompejus privatus ESSET hoc tempore, tamen ad tantum bellum is ERAT diligendus.* (Liv. 2. 10). *Pons publicus iter paene hostibus DEDIT, ni unus vir FUISSET Horatius Cocles.* (Cic. Mil. 22). *Hos NISI MANUMISSET, tormentis etiam DEDENDI FUERUNT.* (Id. Verr. 3. 52). *RELICTURI agros omnes ERANT, NISI ad eos Metellus Re ma litteras MISISSET* (Cf. n. 375).

N. B. 2.º Adh betur in primaria oratione imperfectum vel plusquamperfectum indicativi, quum actio fere absoluta subito abruptitur. (Tac. Ann. 1. 65). *CIRCUMVENIEBANTUR, ni prima legio sese opposuisset.* (Virg. Aen. 2. 54). *Si mens non laeva fuisset, IMPULERAT.* (Cf. n. 476. 1.º) [52].

1.º *Sin* (pero si, mas si). (Cic. Cat. 4). *Hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar; SIN falsus, ut tandem aliquando timere desinam.*

2.º *Si non, si minus* (si no) habent fere post se affirmantem propositionem cum *at tamen, at certe* (al menos). (Cic. Mil. 34). *Si mihi republica bona frui NON licuerit, AT carebo mala.* (Id. Fam. 5. 46). *Stutui adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, SI MINUS sanare potuisset.*

3.º *Sin minus, si minus, sin aliter* (pero si no). (Cic. Att. 9. 15). *Si mihi veniam Caesar dederit, utar condicione; SIN MINUS, impetrabo aliquid a me.* (Id. Att. 43. 1). *Si hortos inspece- ris, dederis mihi quod ad te scribam; SI MINUS, scribam tamen aliquid.* (Id. Fam. 11. 14). *Si ita est, omnia faciliora; SIN ALITER, magnum negotium.*

4.º *Dummòdo* (con tal que) affirmativa, et negativae *dummòdo ne, dum ne, modo ne* (con tal que no) postulant conjunctivum. (Cic. Att. 7. 7). *Quod numquam, DUMMODO otiosi ESSENT, recusarunt.* (Id. Q. Fr. 1. 4). *Sit summa in jure dicendo severitas, DUMMODO NE ea VARIETUR gratia.*

5.º *Si modo, si tamen, siquidem* saepe aequivalent praecedentibus, et postulant indica- tivum vel subjunctivum, prout sit condicio realis vel possibilis. (Cic. Fam. 10. 11). *Omnia ei obsequia polliceor, SI MODO rempublicam respicere VOLET.* (Id. Cat. 2. 4). *O fortunatam rem- publicam, SIQUIDEM hanc sentinam hujus urbis EJECERIT.*

§ V. PROPOSITIONES COMPARATIVAE, QUANTITATIVAE ET CONCESSIVAE

399. Actio potest esse α) REALIS, vel β) POSSIBILIS; in priore habent indicativum, in altera subjunctivum.

α) Actio REALIS.

1.º Propositiones *comparativae* habent in propositione subordinata *ut vel uti, ac, atque, sicut, velut, quam, quemadmodum, qualis*: in principali vero, *ita, perinde, item, pariter, aliter, contra, secus, alius, idem, par, similis, contrarius*. (Cic. Verr. 6. 9). *Fecisti ITEM, UTI praedones SOLENT.* (Id. Mil. 11). *Haec SICUT EXPOSUI, ITA gesta sunt.* (Id. Tusc. 5. 2). *Philosophia non PERINDE AC de hominum EST vita merita, laudatur.* (Id. Dom. 46). *CONTRA QUAM PROPOSUERAM disputabo.* (Id. Fam. 1. 9). *Non ALIUS essem, ATQUE nunc SUM.*

N. B. *Ut* sine correlativo *ita* nonnumquam usurpatur. (Cic. Senec. 4). *Multae in Cato- ne, UT in homine romano, litterae.* (Por lo que se puede esperar de un romano).

2.º Propositiones *quantitativae* habent *quam* post comparativa, *supra quam, ultra quam, praeterquam quod, nisi quod*. (Cic. Fam. 5. 15). *Praestitimus enim patriae non MINUS certe QUAM DEBUIMUS, PLUS profecto QUAM EST POSTULATUM.* (Id. Inv. 1. 18). *Exordium longum est, quod PLU- RIBUS verbis, ULTRA QUAM satis EST, producitur.* (Id. Div. 2. 13). *Id, PRAE- TERQUAM QUOD fieri non POTUIT, ne fingi quidem potest.* (Id. Fam. 15). *Cum Patrone Epicureo mihi omnia communia sunt, NISI QUOD in philosophia vehementer ab eo DISSENTIO.*

N. B. Loquutio hispana *no hacer otra cosa que* sequente infinito, ita exprimitur: *nihil aliud facere nisi*, sequente verbo in eadem voce, modo et tempore verbi *facio*. (Cic. Syll. 35). *Nihil aliud AGEREM, nisi eum DEFENDEREM*. (No haría otra cosa que defenderle). (Cic. Rosc. Am. 37). *NIHIL ALIUD FECERUNT, NISI rem DETULERUNT*. (No hicieron más que dar cuenta del hecho).

3.º Propositiones *concessivae* habent *quamquam, etsi, tametsi, etiamsi*. (Cic. Fam. 5. 1). *ETSI mihi numquam FUIT dubium, quin tibi essem carissimus; tamen quotidie magis id perspicio*. (Cic. Fam. 12. 25). *Rempubli- cam tuebimur, QUAMQUAM admodum SUMUS jam defatigati*. (Id. Fam. 6. 8). *ETSI ABEST maturitas aetatis, jam tamen personare aures ejusmodi vocibus non est inutile*. (Id. Att. 2. 4). *Facito ut sciam, TAMETSI nimis SUM curiosus*. (Id. de Opt. Gen. Or. 2). *ETIAMSÍ EST in genere tolerabili; certe non est in optimo*. (Id. Fam. 5. 13). *QUAMQUAM ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima EST, tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi*. (Id. Att. 8. 12). *Id enim, ETSI ERAT deliberationis, tamen obire non potui*. (Id. Sext. Rosc. 17). *Quod, TAMETSI miserum et indignum EST, ferret tamen aequo animo*. [411].

β) Actio POSSIBILIS.

1.º *Comparativae* assumunt easdem particulas cum *si* vel *quasi*; loco *si* vel *quasi* ponitur quandoque *ac, tamquam, velut*. (Cic. Fam. 2. 14). *Ejus negotium sic velim cures, UT SI ESSET res mea*. (Id. Verr. 5. 49). *Atque haec PERINDE loquor, QUASI in eo SIT iniquitas ejus REPREHENDENDA*. (Id. Balb. 3). *Non CONTRA AC LICERET, factum diceretur; sed CONTRA ATQUE OPORTERET*. (Id. Verr. 6. 22). *Neque enim ita se gessit in his rebus, TAMQUAM rationem aliquando ESSET REDDITURUS; sed ITA, QUASI reus numquam ESSET FUTURUS*.

2.º *Quantitativae* habent *extra quam si, praeterquam si* et alias etiam, ubi rem possibilem demonstramus. (Cic. Inv. 56). *Addat exceptionem hanc: EXTRA QUAM SI quis reipublicae causa exercitum non TRADIDERIT*.

3.º *Concessivae* efferuntur ope *quamvis* (saepe sine verbo), *licet, etiamsi, ut, ut ne* in negatione, *quum, nedum*. (Cic. Phil. 2. 16). *Homines, QUAMVIS in turbidis rebus SINT, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur*. (Cic. Phil. 4. 4). *QUAMVIS impii nefariiue SINT, sicut sunt, dissentire possunt*. (Id. Rosc. Am. 16). *Quasi vero mihi difficile sit, QUAMVIS MULTOS nominatim proferre*. (Id. ib. 11). *LICET hercule undique omnes in me terrores IMPENDEANT, succurram atque subibo*. (Cic. Amic. 27). *Omnia brevia tolerabilia esse debent, ETIAMSÍ magna SINT*. (Id. Att. 8. 3). *Qui autem erit locus nobis tutus, UT placatis UTAMUR fluctibus?* (Id. Tusc. 2. 5). *NE SIT sane summum malum dolor; malum certe est*. (Caes. B. G. 5. 40). *Ipse Cicero, QUUM tenuissima valetudine ESSET, ne nocturnum qui-*

dem sibi tempus ad quietem relinquebat. (Cic. Dom. 24). *In scelere religio non valeret, NEDUM VALEAT id*.

N. B. Nec particulae illae, quae hujus paragraphi priore parte recensentur, subjunctivum omnino respuunt, maxime quum rem possibilem aut minime factam demonstrant. (Cic. Fam. 6. 4). *ETSI id ipsum nonnullis VIDEATUR secus*. (Sall. Jug. 3). *QUAMQUAM et POSSIS, et delicta CORRIGAS, tamen importunum est* [412].

§ VI. PROPOSITIONES TEMPORALES

400. Quadruplex dari potest temporis relatio: actio enim propositionis secundariae vel α) SIMUL exercetur ac principalis, vel β) est PRIOR, vel γ) POSTERIOR, vel δ) ITERATA.

α) ACTIO SIMULTANEA his particulis effertur: *quum, dum, quamdiu, rarius quando, quo tempore*. Semper adhibetur indicativus; et quidem *dum* requirit praesens pro imperfecto hispano, quoties non respondet adverbio *quamdiu*. (Cic. Off. 2. 22). *Male se res habet, QUUM, quod virtute effici debet, INTENTATUR pecunia*. (Id. Verr. 2. 5. 62). *Caedebatur virgis civis romanus, QUUM interea nullus gemitus AUDIEBATUR*. (Id. Fam. 3. 8). *Tu, QUUM istiusmodi sermones ad te DELATI de me SUNT, non debuisti credere*. (Id. Fam. 14. 3). *QUUM inimici nostri venire DICENTUR, tum in Epirum ibo*. (Id. Caecil. 17). *Ita, DUM pauca mancipia Agonis retinere VULT, fortunas omnes perdidit*. (Caes. B. G. 1. 46). *DUM haec in colloquio GERUNTUR, Caesari nuntiatum est*. (Mientras se trataba etc....). (Cic. N. D. 2. 9). *Qui (motus) QUAMDIU REMANET in nobis, tamdiu sensus et vita remanet*.

N. B. 1.º *Quum* historicum (quo scilicet successio factorum et nexus significatur) postulat imperfectum conjunctivi. (Cic. Att. 4. 3). *QUUM sacra via DESCENDEREM, insequitur est me cum suis*. (Caes. B. G. 1. 22). *Prima luce, QUUM summus mons a T. Labieno TENERETUR, ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus ABESSET, neque aut ipsius adventus aut Labieni cognitus ESSET, Considius equo admissio ad eum occurrit*. (Nep. Reg. 2). *Pyrrhus, QUUM Argos oppidum OPPUGNARET in Peloponneso, lapide ictus interiit*.

N. B. 2.º Post loquutiones *est, erit, fuit* (tempus, aetas, dies), *quum* fere habet subjunctivum. (Cic. Mil. 26). *ERIT, ERIT illud profecto TEMPUS, et ILLUCESCET aliquando ille DIES, QUUM tu gravissimi hominis fidem DESIDERES*.

β) PRIORI ACTIONI significandae inserviunt: 1.º *postquam, posteaquam* (después que), *ut, ut primum, ubi primum, quum primum, simul ac vel atque* (luego que, tan pronto como) cum perfecto indicativi vel presenti historico: 2.º *quum* historicum (después que, habiendo....) cum plusquamperfecto subjunctivi (1). (Cic. Rosc. Am. 6). *POSTEAQUAM victoria CONSTI-*

(1) Hinc et ex dictis in α) N. B. 1.º intelliges, quod passim in libris dicitur, gerundia hispania (quae *andos* et *habientos* appellant) esse efferenda per *quum* cum subjunctivo.

TUTA EST, *ab armisque RECESSIMUS, erat Roscius Romae frequens.* (Id. Att. 2. 11). *Relegatus mihi videor, POSTEAQUAM in Formiano SUM.* (Id. Att. 7. 15). *Ut ab urbe DISCESSI, nullum praetermisi diem.* (Id. Fam. 10. 15). *UT PRIMUM potestas DATA EST augendae dignitatis tuae, nihil praetermisi in te ornando.* (Id. Att. 4. 1). *QUUM PRIMUM Romam VENI, nihil prius faciendum mihi putavi.* (Id. Verr. 3. 13). *SIMUL AC Verri occasio DATA EST, consulem deseruit.* (Id. Som. Scip. 1). *QUUM in Africam VENISSEM, nihil mihi potius fuit.* (Nep. Mil. 4). *Darius, QUUM ex Europa in Asiam REDISSET, classem comparavit.* [65. 400].

N. B. 1.^o *Postquam, posteaquam nonnunquam admittunt plusquamperfectum.* (Sall. Jug. 102). *POST diem quintum QUAM iterum barbari male PUGNAVERANT, legati a Boccho veniunt.*

N. B. 2.^o *Cum verbis rogandi et interrogandi quum saepe habet imperfectum pro plusquamperfecto.* (Cic. de Rep. 3. 9). *QUUM Alexander a quodam archipirata QUERERET, quo scelere impulsus mare haberet infestum, inquit.* (Como preguntase....). Hispane hoc saepe fit etiam in aliis verbis.

γ) ACTIO propositionis secundariae, quae CONSEQUITUR tempus propositionis principalis, postulat: 1.^o *quum* (inversum) cum perfecto indicativi vel praesenti historico; accedente frequenter *subito, repente*, in primaria vero *vix, jam, aegre, nondum*; 2.^o *antequam, priusquam*, (antes que), rarius *dum, quoad, donec* (hasta que) cum indicativo (vel cum subjunctivo in resperata vel intenta); sed in his plusquamperfectum et futurum imperfectum supplentur ope perfecti et futuri perfecti. (Cic. de Or. 2. 21). *VIX annus intercesserat, QUUM iste ACCUSAVIT Norbanum.* (Liv. 29. 7). *Hannibal JAM subibat muros, QUUM REPENTE in eum ERUMPUNT Romani.* (Sall. Jug. 98. 2). *JAMQUE dies consumptus erat, QUUM tamen barbari nihil REMITTERE, atque acrius INSTARE.* (Cic. Att. 2. 17). *ANTEQUAM tuas LEGI litteras, rem differri cupiebam.* (Id. de Or. 3. 143). *Numquam conquiescam, neque defatigabor, ANTEQUAM illorum vias rationesque disputandi PERCEPERO.* (Id. Att. 16. 15). *His de rebus constituere nihil possum, PRIUSQUAM te VIDERO.* (Id. Mil. 10). *Milo in senatu fuit eo die, QUOAD senatus DIMISSUS EST.* (Ter. Eun. 206). *Expectabo DUM VENIT.* (Cic. Som. Scip. 1). *ANTEQUAM ex hac vita MIGRO, conspicio in meo regno Publium Scipionem.* (Cic. Att. 7. 1). *Expecta DUM Atticum CONVENIAM.* [401].

δ) ACTIO ITERATA requirit: 1.^o *quoties* cum omnibus indicativi temporibus; 2.^o *ubi, simul atque, quum* (siempre que) cum perfecto vel plusquamperfecto indicativi. (Cic. Fam. 4. 5). *QUOTIESCUMQUE filium tuum*

ctivo: haec enim gerundia, si recte adhibentur, significant tempus quod immediate praecedat vel comitatur actionem primariam (Cf. Bello. n. 446 vel Isaza. cap. 36). (Vide etiam. n. 63).

VIDEO, polliceor ei studium quidem meum. (Virg. Aen. 12. 485). *QUOTIES oculos CONJECIT in hostem,—Aversos toties currus Juturna retorsit.* (Cic. de Or. 3. 16). *QUUM fortuna REFLAVIT, affligimur.* (Siempre que nos es adversa la fortuna...). (Id. N. D. 1. 38). *SIMUL AC mihi COLLIBITUM EST, praesto est imago.*

§ VII. PROPOSITIONES RELATIVAE

401. Propositio relativa habet α) indicativum β) vel subjunctivum.

α) Habet indicativum:

1.^o Si relativum est *declarativum*, i. e. si solum addit aliquam determinationem qualitatis, loci, etc. (Cic. Rosc. 44). *In quem haec dicam? Non in eum QUEM VIS et PUTAS.* (Id. Att. 6. 9). *Spero, QUAE tua prudentia et temperantia EST, te jam ut volumus, bene valere.* (Tal es tu prudencia y templanza). (Id. de Rep. 2. 4). *Omnes QUI tunc eos agros, UBI hodie EST haec urbs, INCOLEBANT.*

2.^o Si continet limitationem realem, sequente *quidem, modo, etiam*, et quotiescumque adhibetur *quantum*. (Cic. Br. 17). *Catonem vero, quis nostrorum oratorum, QUI QUIDEM nunc SUNT, legit?* (Id. de Or. 1. 21). *Ego, QUANTUM AUGUROR conjectura, non despero fore aliquem.*

3.^o Quum relativum geminatur vel assumit *-cumque*. (Cic. Bab. Post. 8). *QUOQUO consilio FECIT, fecit certe suo.* (Virg. Aen. 1. 591). *QUISQUIS ES, haud, credo, invisus coelestibus auras—Vitales carpis.* (Cic. Att. 14. 1). *QUIDQUID ERIT, scribes.* (Id. Fam. 2. 5). *UBICUMQUE ES, in eadem es navi.* (Id. Q. Fr. 1. 2). *P. Lentulus, QUIDQUID HABUIT, QUANTUMCUMQUE FUIT, id totum habuit a disciplina.* (Id. Brut. 59). *Nos autem non desistebamus quum omni genere exercitationis, tum maxime stilo, nostrum illud augere, QUANTUMCUMQUE ERAT* (1).

β) Habet subjunctivum:

1.^o Quum causam significat. (Cic. Arch. 10). *O fortunate adolescens, QUI tuae virtutis Homerum praeconem INVENERIS!* (Id. Som. Scip. 1). *Me et de via, et QUI ad mullam noctem VIGILASSEM, arctior quam solebat, somnus complexus est.*

N. B. Habet etiam indicativum nonnunquam, maxime quum de re nota sermo est. (Cic. Senec. 14). *Habeoque senectuti magnam gratiam, QUAE mihi sermonis aviditatem AUXIT, potionis et cibi SUSTULIT.*

(1) *Cuicui etiam invenitur pro cujuscujus.* (Cic. Att. 3. 22). *Tu modo ad me velim omnia quam diligentissime, CUICUMODI SUNT, scribas.* (id. Tusc. 5. 41). *Ubi melius uti possumus hoc, CUICUMODI EST, otio?* [16].

2.º Quum exprimit finem. (Cic. Verr. 1. 29). *Venerat ipse, QUI ESSET in consilio, et primus sententiam DICERET.* (Cic. Arch. 6). *Quia suppeditat nobis, UBI et animus ex hoc forensi strepitu REFICIATUR, et aures convicio defessae CONQUIESCANT.* (Cic. N. D. 12). *Homini natura rationem dedit, QUA REGERENTUR animi appetitus.*

3.º Quum aequivalet propositioni consequutivae, maxime post pronomi-
na *talis, tantus, ejusmodi, is*, vel adjectiva *dignus, indignus, idoneus, aptus.*
(Cic. Dom. 54). *Non sum TAM insolens, QUI Jovem esse me DICAM.* (Id. Fam. 1. 8). *Is ego sum, CUI maxime CONCEDANT omnes.* (Id. Att. 8. 5). *In EA causa, in QUA nullus ESSET ordinum, nullus apertus privatorum dolor.* (Id. Sex. Rosc. 15). *Nefarium facinus atque EJUSMODI, QUO uno maleficio scelera omnia complexa esse VIDEANTUR.*

N. B. Huc potest reduci relativum post loquutiones *est, sunt, exitit*, etc.... *nemo est, quis est? quotus est?* etc.; ut sit consequutiva in qua particula vel pronomen propositionis principalis omittitur. (Cic. Tusc. 4. 49). *SENT QUI discessum animi a corpore PUTENT esse mortem.* (id. Cat. 4. 12). *Nonnulli SENT in hoc ordine, QUI aut ea, quae imminent, non VIDEANT, aut ea, quae vident, DISSIMULENT.* (id. Att. 4. 43). *QUOTUS enim QUIQUE EST, QUI epistolam paulo graviorem ferre POSSIT?*

4.º Quum condicionali respondet. (Cic. N. D. 2. 4). *Haec QUI VIDEAT, nonne cogatur confiteri deos esse?*

5.º Nonnumquam in limitatione cum *quidem, modo*; item *quod, quoad.* (Cic. Brut. 17). *Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, QUAS QUIDEM adhuc INVENERIM aut LEGERIM, et verbis et rebus illustribus.* (Id. de Or. 2. 22). *Antiquissimi fere sunt, QUORUM QUIDEM scripta CONSTENT, subtiles, aculi, breves.* (Id. Brut. 48). *Omnium quidem oratorum, QUOS QUIDEM ego COGNOVERIM, acutissimum judico Q. Sertorium.* (Id. Fam. 4. 2). *Tu, QUOD tuo commodo FIAT, quam primum velim venias.* (Id. Fam. 5. 2). *Si eam, QUOAD EJUS facere POTUERIS, quam expeditissimam mihi tradideris.*

N. B. *Quin* praecedente negatione ponitur nonnumquam pro *qui non.* (Cic. Verr. 2. 36. 38). *Repertus est NEMO, QUIN mori diceret satius esse.*

§ VIII. PROPOSITIONES INTERROGATIVAE

402. Interrogatio potest esse α) SIMPLEX et β) COMPOSITA.

Utraque est *directa*, si est independens, *obliqua* vero, si est dependens.

Prior divisio definit quaenam particulae sint usurpandae, altera vero quinam modus adhibendus. Utrumque exhibent subjectae tabulae.

α) SIMPLEX { *Directa* { Si exspectes affirmationem, adhibebis *nonne* cum indicativo.
Si exspectes negationem, adhibebis *num (numquid, numne)* cum indicativo.
Si neque aff. exspectes neque neg., adhibebis *ne* encliticum cum indicativo.

Obliqua Usurpabis easdem particulas cum subjunctivo.

(Cic. Verr. 7. 148). *NONNE ita EST?* (Id. de Or. 1. 9). *In Numa Pompilio NUM quod eloquentiae vestigium APPARET?* (Id. Tusc. 5. 6. 1). *VISNE, o Democle, fortunam experiri meam?* (Cic. Tusc. 5. 35). *Quum esset ex eo quaesitum, Archelaum Perdiccae filium NONNE beatum PUTARET?* (Id. Att. 12. 8). *Scire velim NUMQUID necesse sit esse Romae?* (Id. Rep. 6. 14). *Quaesivi VIVERETNE ipse?*

N. B. 1.º *An* ponitur pro *ne.* (Ter. Eun. 4. 5. 7). *AN abiit jam a milite?—AN vel an vero, pro num.* (Cic. Mil. 12). *AN VERO, judices, vos soli ignoratis?*

N. B. 2.º Usurpatur etiam *an* in obliqua post verba *dubito, nescio, haud scio*, vel post adjectiva *dubius, nescius.* (Cic. Brut. 33). *Cajus Gracchus, si diutius viaisset, eloquentia nescio AN HABUISSET parem neminem* (n. 389. β. N. B. 4.º).

Disjunctiva { *Directa: utrum—an, anne* cum indicativo
(es esto ó aquello?) *Obliqua: » »* cum subjunctivo

β) COMPOSITA { *Contradictoria* { *Directa: nulla partic. vel utrum, ne—an*
(es esto ó no?) *Obliqua: nulla partic. vel utrum, ne—nec—ne* cum subjunctivo.

(Cic. Fam. 7. 15). *UTRUM te superbiorem FACIT pecunia, AN quod te imperator consulit?* (Id. Fam. 1. 7). *Multum interest UTRUM laus IMMINUATUR, AN salus DESERATUR.* (Ter. Phorm. 1. 5). *Pater ejus REDIIIT AN NON?* (Cic. Rosc. 1. 17). *Quaero POTUERITNE Roscius ex societate partem suam petere, NECNE?*

N. B. 1.º In interrogatione *directa* saepe omittitur verbum: v. gr. *Quid? quid vero? (qué? pero qué?) Quid deinde? quid tum?—Quid ergo? quid igitur? quid enim? (y qué?)—Quid? quod... quid? si... (ut ad rem vehementiorem transeamus).—Quid multa? quid plura? (para qué más?)*

N. B. 2.º *Cur* usurpatur tum in *directa*, tum in *obliqua: quare quamobrem* raro in *directa.*—Por qué no...? est *cur* cum indicativo. *Cur non venisti?—Por qué no? (no hay razón para que no) est quidni* cum subjunctivo. *Quidni possim?*

N. B. 3.º Si exprimitur dubitatio, etiam in *directa* usurpatur subjunctivus. (Ter. Adelph. 5. 2. 288). *Quid ego nunc AGAM?* (Vid. n. 373).